Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2021

Quelle:
Copyright:

DXXVI.

577 Codex chartaceus germ. Sec. XVI. Folior. 26. 4. hoc Titulo gaudet: *Clag vnd antwurt von luterischen vnd bepstischen pfaffen vber die reformacion so Newlich zu Regenspurg der Priester halb vssgangen ist Im Iar* MDXXIIII. *Legatus Apostolicus* (Laur. Campegius Card.) utor verbis *Job. Cochlaei de Act. et Script. Mart. Luth. Moguntiae* 1549. p. 98. f. *cum intelligeret Laicorum animos grauiter offendi improbis Clericorum abusibus et perditis moribus — egit cum Principibus, ut ex Consiliarijs suis delectu quodam deputarent uiros expertos, qui articulatim consignarent excessus et defectus, scandala item et abusus Clericorum Germanię. Ipse quoque ex suis in eum delectum deputauit Joannem Cochlaeum, quo et interprete utebatur in ijs, quæ Germanice proponebantur. Insignem itaque ex oblatis per Delectum articulis fecit ac promulgauit Constitutionem — quam et reliqui Principes gratam ratamque habuere.* Huic porro *Constitutioni* Satiram superstruit Anonymus noster subjectis ad singulos Articulos utriusque Cleri querelis et lamentis, ita, ut Tros Rutulusque nullo illi discrimine agatur. Itaque sic ingreditur: *Ersamen weisen lieben Herren, Ir habt da In dem Comitio zu Regenspurg widder vnns armen pfaffen ain Reformation lassen vssgeen, glichsam seyen wir schuldig daran das die welt bey vier Hundert Jaren her verfurt worden ist* &c. se quoque celebrasse Comitium et sequentia in Articulos propositos animadvertere. Atque hinc reliquae etiam Hominum conditiones sale multo nec inficeto perfricantur. Ad calcem jacet: *Getruckt zu Leimbisch Auff dem Federmarck.*

DXXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 93. f. non una manu exaratus et rubricis distinctus continet: I. *Colloquium Guilielmi Torp* (Thorpe) *concionatoris in Villa Schrowysbery* (Shrewsbury) *incarcerati cum Thoma Arundel archiepiscopo Cantuariensi primate Anglico et Cancellario. anno 1407. habitum, in quo de Wiclef et eius discipulis (qui et nominantur) nonnulla. Wiclefi* Adseclas nomine a *Germania* inferiore, ubi jam prius invaluerat, in *Angliam* traducto *Lolhardos* sive *Lollardos* dictos fuisse, notum est, pro qua voce in *Wbartoni Angliae sacr.* T. I. p. 62. vitio fortasse Scriptoris *Lauredos* legas. Ex horum numero fuit *Thorpius* hic, cujus Narratio incipit: *Notum sit vniuersis legentibus hanc scripturam subsequentem, quod die dominico proximo post festum Sancti Petri, quod dicitur ad vincula Anno domini MCCCCVII. Ego Villelmus torp incarceratus in castro de Saltwotde* (Saltwood) *adductus eram coram domino Thoma Arundel Archiepiscopo Cantuarie* &c. 887